

a Platone. Xenocrates animi figuram, et quasi corpus, negavit esse; verum numerum dixit esse, cujus vis, ut jam ante Pythagorae visum erat, in natura maxima esset. Ejus doctor Plato triplicem finxit animam, cujus principatum, id est rationem, in capite, sicut in arce, posuit; et duas partes parere voluit, iram et cupiditatem, quas locis disclusit; iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit. Dicaearchus autem in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, primo libro multos loquentes facit: duobus Pherecratem quendam Phthiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen totum inane, frustra et animalia, et animantes appellari; neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse; quippe quae nulla sit, nec sit quidpiam, nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat, et sentiat. Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans et ingenio, et diligentia, quum quatuor nata illa genera principiorum esset complexus, ex quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, ex qua sit mens. Cogitare enim et providere, et discere et docere, et invenire aliquid, et tam multa alia, meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari: haec et similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat; quintum genus adhibet, vacans nomine: et sic ipsum animum, ἐντεξείχαν appellat, novo nomine, quasi quandam continuatam motionem, et perennem.

Nisi quæ me forte fugiunt, hæ sunt fere de animo sententiæ. Democritum enim, magnum quidem illum virum, sed levibus et rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittamus. Nihil est enim apud istos, quod non atomorum turba conficiat.